

aliis decertatum est. Comitem autem Stephanum fungentem voivodatus officio, dignitate omnium maxima in tota Ungharia, captivum fuisse nostri Dominii cum pluribus militibus et proceribus, ad nostre patrie decus non modicum cedit. Ad summam veritatem  
 150 proferre non verear: numquam Dominium Venetorum bellum cum quavis comunitate vel principe sumpsit de quo tantam gloriam reportaret. Testes sunt oppida solo strata, testes eorum fundamina, ut advenis et peregrinis hec in posterum pateant remansura, testes pacta cum miro honore nostre Dominacionis celebrata, testis est pax, cuius cum ultro illi oblata est, in occursum festinantius properavit sapientis verbis edocta: nulla dictiora spolia, nullos clariores triumphos sibimet suisque filiis, nobis scilicet civibus, posse refferre quam pacem, maxime ob memoriam Ihesu Christi, qui hereditatis in locum illam mundo legavit. Quo est ut Veneti in susceptione belli justī, in eius prosecutione viriles, in fine ipsius quem  
 160 tandem pax clausit devoti ac celeberrimi predicentur. Quid amplius? Multa quidem, sed jam exitum suum deposcit epistola. Tu cetera prosequeris. Hoc unum, quod sepe sepius deprecor, que plura vides obicienda per detractores et susurriones, queve hiis et illis respondenda, significare non pigeat.

Hec autem omnia corrigere non recuses. Et enim, ut testis est fraternalis amor noster, artem dictandi talia epigramata preter nunc nunquam attigeram. Sufficit michi sequutum fuisse quantumcumque quemvis Dedalum pennis imperfecte ceratis, etsi mari ycareo  
 170 nomen tribuam. Librum tuum De viris illustribus totum scripsi, sed et partem quandam alterius De originibus rerum. Non reddam illum tibi nisi prius copia sumpta: utor apud te totis viribus amicitie. Venerabilem dominum Gasparinum Favacium ex mea parte salutes. Quem ad hec emendanda coadiutorem asumpsisse non pudeat. Cuncta tibi feliciter ad votum cedant.

Johanes Jeronimus Natalis frater tuus.

Dat. Veneciis, IIJ<sup>o</sup> nonas Ianuarii, 1374.

---

<sup>154</sup> quamvis *cod.*    <sup>161</sup> eandem *cod.*    <sup>164</sup> susarriones *cod.*    <sup>170</sup> tribulam  
*cod.*    <sup>173</sup> mea] me *cod.*